

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0694

0692

0698

0688

0703

0683

0743

0643

0793

0593

121

et secundum illam ampliacionem praedicti duo philosophi super-
serunt ejus terminos et mensuram. Vel si ante ampliacionem
scripserunt, contulerunt montem Syon civitati, quem Josephus
non includit suae mensurationi. Includendo enim montem
Syon cum monte Calvariae et Golgatha, fit circulus grandis
in circumferentia, non minor, quam contineat Augusta, civitas
Suevorum, quae inter magnas Germaniae civitates computatur.
Quod tamen contemplanti de monte Oliveti civitatem Jerusalem
non videtur, cum sit sita in loco inaequali, non plano, et ha-
beat multa spatia, quae videri non possunt. Nam mons Syon,
per se solus, non parvam civitatem contineret, si esset aedi-
ficatus sicut fuit, ut ruinae docent. De hac civitate vide infra
descriptionem fol. 255 B.

(B) De quarto ingressu dominorum peregrinorum in
dominicum sepulchrum.

Tertia die, quae est inventionis S. Stephani, et erat domi-
nica X post Trinitatis, in sero sabbathi praecedentis, petivi-
mus dominos rectores civitatis sanctae, Sarracenos, ut intro-
mittere nos dignarentur in ecclesiam sancti sepulchri, et an-
nuerunt, ita tamen, quod solveremus tributum consuetum, pro
persona quinque ducatos. Petivimus autem eos, ut mitius
nobiscum agerent et rigorem illum remitterent, ex quo pauci
essemus, quia intenderemus saepius ingredi ante nostrum
recessum, et si non vellent remittere aliquid de tributo con-
sueto, tunc nec jam nec in posterum possemus ingredi. Post
multas ergo placitationes et brigas improbitate nostra vicimus
eos, et ita convenimus, quod, quotiescumque vellemus ingredi
ecclesiam dominicae resurrectionis, toties solveremus simul
omnes tributum unius hominis, hoc est, quinque ducatos. Et
hoc placuit nobis. Congregatis ergo nobis in atrio templi
sancti sepulchri venerunt domini Mauri cum clavibus, et
reiseratis valvis ingressi sumus et noctem illam deduximus in
vigiliis circa dominicum sepulchrum, modo scripto fol. 110 A,
et consequenter mane facto cantavimus Missam in capella
beatae Virginis, de qua habetur folio praedicto, et privatas
Missas legimus ad placitum cum quiete. Quibus omnibus

0193

Ende

Anfang